

titia, & partim ex quadam decentia: decet enim, quod Deus, non solum remuneret opera justi conferendo ei præmium, sed communicando etiam aliis bona secundum applicationem, & orationem iusti. Hoc meritum poterit alteri applicari, ideoque potest justus mereri de congruo gratiam peccatori. Et beatissima Virgo omnibus meruit de congruo Incarnationem filii sui.

42. Effectus *satisfactorius* consistit in eo, quod actus sit laboriosus, Deo gratus, ab homine justo factus, & possit assumi ad solutionem poenæ temporalis pro peccatis debitæ. *Impetratorius* non requirit gratiam in operante, sed prout jam diximus, nititur in Dei benignitate, & clemencia. Hic est præcipuus effectus orationis, alios autem duos quodlibet opus bonum habet. Oratio vero, cum ex natura sua sit *petitio decentium a Deo*, peculiariter habet inclinare Deum ad concedendum id, quod ab eo petitur. Huic triplici effectui operis boni solent aliqui addere quartum, nempe *propitiatorum*, hoc est, reddere Deum propitium. Quia quodlibet opus bonum ad salutem æternam ordinatum, licet a peccatore factum, reddit Deum pacatum, aut propitium, vel ne statim puniat, vel ut tribuat auxilia ad resurgendum a peccato, vel ne ulterius prolabatur. Quibus prænotatis:

43. R. Orationes, aut satisfactiones oblatas, supposito pacto Dei, habere infalibiler ex iustitia aliquam poenam eorum diminuere, non vero a tota poena absolvere, licet condignæ, & superabundantes sint. Patet in sacrificio Missæ, quod esto sit valoris infiniti, non tollit totam poenam, cui applicatur; sed hoc pendet ex Dei voluntate, & acceptatione. Ita ut infalibiler prosit ex iustitia ei, cui applicatur; sed magis, aut minus pendet ex Dei clemencia, & acceptatione. Pendet etiam ex dispositione illius, pro quo offertur: hæc autem dispositio consistit, vel in devotione, quam quis dum viveret, habuit erga altissimum Eucharisticæ mysterium, vel per frequentem communionem, vel ferventem Missarum auditionem, vel erga animas purgatorii omni modo possibili eis suffragari curando. Talis enim ex divina pietate copiosorem satisfactionem ex suffragiis

vivorum absdubio obtinebit. Videatur D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. *quæstiunc. 3.*

44. Hæc sententia non solum est probabilior, & de mente D. Thomæ; sed etiam magis pia, fovet enim devotionem moriturorum; ut disponat plures Missas pro se dicendas: quia cum qualibet infalibiler aliquam partem poenæ debitæ remittat, multiplicatis sacrificiis possunt totum debitum quantocius extinguere. Dissipellit etiam aliorum torporem, qui paucis sacrificiis pro se offerendis post mortem contenti, quasi secure decedunt: verum absdubio poenæ hujus indevotionis, & ignaviæ poenitebunt, quando eis occurrere non valebunt.

## PUNCTUM VI.

## Alia dubia de oratione.

45. Inq. 1. An oratio pro pluribus facta, æque prosit, ac si fiat pro paucis? R. quod in ratione satisfactionis non æque prodest multis, ac paucis; in ratione vero impetrationis omnibus æque proficit. Ratio primæ partis est, quia hæc satisfactio est finita, ergo quo pluribus applicatur, minus singulis prodest: ut videre est in certa summa pecuniæ, quæ pluribus distributa, minus unicuique contingit. Ratio secundæ partis est, quia impetratio præcipue innititur in Dei misericordia, & liberalitate: ergo non minuitur, eo quod ad plures extendatur. Est enim impetratio sicut lux accensa in cubiculo, quæ sive uni, sive pluribus, æque omnibus lucet.

46. Inq. 2. Quando, vel quomodo eruntur a purgatorio animæ, quæ nullum habent, qui earum recordetur? R. quod, attenta pietate divina, tales animæ non patientur in purgatorio per omne tempus requisitum, ut per propriam satisfactionem, vel *satisfactionem* extinguant omne debitum, sed Deum applicare eis suffragia, quibus aliæ, vel non indigent, vel eorum non sunt dignæ: quia hoc est valde credibile de divina misericordia: ut cum Damasceno docet D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. *quæstiunc. 3. ad 2.* Præterea Ecclesia, & fideles offerunt Missas, & suffragia pro defunctis in com.

communi: quæ quidem opera satisfactoria pie creditur Deum similibus animabus applicare, ut ex vi illorum sua debita solvant, ab illoque carcere citius, quam divina iustitia exigebat, eruantur.

47. Tempus, quo animæ detinentur in purgatorio, ignotum est nobis; late enim aliquas, ipsas etiam felices, animas. Opinio dicens non detineri ultra decennium, nullo gaudet fundamento; nec, quæ quidam junior obrudit in præsentibus contra Salmanticenses, solidiori rationi nituntur. Animas ultra decem, viginti, & amplius annos cruciari in purgatorio habetur ex pluribus piis revelationibus, & præcipue ex quibusdam admissis, approbatis, & annotatis a V. Palafox, cujus singularis eruditio, egregia doctrina, & fama sanctitatis jam incipiunt præfulgere in Ecclesia. Utinam plene refulgeant!

48. Inq. 3. Quæ sint licite a Deo in oratione petenda? R. 1. Quod licet Socrates putavit, nihil ultra petendum a Diis, quam ut bona nobis tribuerent, quia ipsis patebat, quid unicuique esset utile: nos vero dicimus gratiam, gloriam, virtutes, dona supernaturalia, & omnia, quæ nos ducunt ad vitam æternam esse absolute a Deo petenda. Quia hæc omnia cedunt in gloriam Dei, & utilitatem spiritualem nostram. R. 2. Bona temporalia necessaria ad vitæ conservationem posse etiam absolute peti a Deo: quia hæc bona sunt per se appetibilia sicut ipsa natura, & quemadmodum tenemur conservare vitam, ita petere necessaria ad ejus conservationem. Unde Salomon petivit absolute victui suo necessaria, & Ecclesia frequenter orat pro salute, pro pluvia, & aliis ad vitam necessariis, ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Hæc, licet minus principaliter, petimus in oratione dominica, cujus explicatio dabitur in fine operis.

49. R. 3. Alia bona non necessaria ad vitam, ut honores, divitiæ, & alia hujusmodi non esse absolute a Deo petenda, sed sub conditione, si conducant ad ultimum finem assequendum, vel ad actus virtutum deserviant: quia hæc malum eventum possunt ex se habere. Unde audax esset, & satis amens, qui a

Tom. I.

Deo peteret Episcopatum, Magistratum, Præfecturam, Dignitates, aut officia honorifica: quia esto objectum hujus desiderii malum non sit; valde tamen periculosum est, cum sint onera Angelicis humeris formidanda. Videatur D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 5. & 6. ubi de his omnibus agit.

## CAPUT II.

## De adoratione Dei, &amp; sanctorum.

## PUNCTUM I.

## Notio, &amp; divisio adorationis.

50. Inq. 1. Quid sit adoratio? R. est actus, quo Deo, & sanctis exhibetur proprius cultus ob eorum excellentiam. Dicitur primo in *latrariam*, *hyperduliam*, & *duliam*. Quoniam adoratio distinguitur juxta adorati excellentiam, hæc autem est triplex. Prima increata, quæ est propria Dei, & huic excellentiæ correspondet *latria*. Secunda propria beatissimæ Virginis Mariæ propter eminentem dignitatem, gratiam, & perfectionem super omnes sanctos, cui correspondet *hyperdulia*. Tertia excellentia est propria sanctorum propter gratiam, & sanctitatem a Deo participatam, cui correspondet *dulia*. Adoratio autem, quæ tribuitur superioribus ob motivum naturale, dignitatem, aut officium, dicitur *observantia*. D. Thom. 2. 2. q. 103.

51. Secundo dividitur adoratio in *internam*, & *externam*. *Interna* est actus interior, quo nos summittimus Deo tamquam supremo omnium rerum principio, & ita Angeli, & animæ beatæ Deum adorant. *Externa* est actus exterior signo exteriori manifestatus: ut inclinatione capitis, genoflexione, aut prostatione. Hæc adoratio principaliter est in interiori, secundario autem in corporalibus humilitatis signis: unde licet possit dari adoratio interna sine externa; non vero e contra: quia sola exterior adoratio potius est fictio, quam actus religionis.

52. Tertio dividitur in *absolutam*, & *respectivam*. *Absoluta* est quæ tribuitur creaturis, quæ ex se sunt capaces excellentiæ, superioritatis, gratiæ, sanctitatis,

Ppp

tis, & virtutis: unde solum creaturæ rationales capaces sunt adorationis absolute propter excellentiam, & virtutem a Deo participatam. *Respectiva* est, quæ exhibetur alicui, non ob propriam excellentiam, sed ob respectum quem dicit ad alium adoratione dignum: & hoc pacto adoramus crucem, & sanctorum imagines ob respectum ad suum prototypum, & exemplar. Quarto dividitur adoratio in *publicam*, & *privatam*. Publica est, quæ tribuitur auctoritate, & nomine Ecclesiæ. *Privata* vero, quæ fit nomine proprio, vel ex privata devotione: sive in publico, sive in secreto fiat. Ita communiter Theologi cum D. Th. ubi sup.

53. Inq. 2. An detur præceptum divinum adorandi Deum? R. affirm. Patet ex cap. 20. *Exodi*. Ubi præcipitur: *Non habebis Deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile*. In quibus verbis includitur præceptum affirmativum adorandi Deum, & negativum non adorandi idola, vel falsos Deos. Ac si diceret: *me solum ut Deum verum adorabis, & colas, nec alium præter me*. Prob. ratione, quia etiam jus naturale exigit, ut non solum mente, sed etiam corpore Deum adoremus, & colamus; constamus enim anima, & corpore, & utrumque a Deo accepimus: ergo datur præceptum divinum naturale adorandi Deum adoratione interna, & externa. Ratio cur præceptum adorationis tradatur per verba negativa, potius quam affirmativa est, quia adeo naturale est homini, ut nulla fuerit natio tam barbara, quæ primum suarum legum fundamentum supra cultum Dei non jecerit: quare sat fuit per præceptum negativum prohibere idolatriam, ad quam Hebræi proni erant, ut homo suapte natura Deum verum adoret, & colat, despectis falsis, vanis, & fictis Diis.

54. Inq. 3. Quo tempore hoc præceptum obliget? R. quod hoc præceptum ut negativum obligat semper, & pro semper: quia hoc est proprium omnis præcepti negativi prohibentis actionem intrinsece malam: verum ut affirmativum obligat per se omnibus Dominicis, in quibus Deus coli debet ex præcepto substantialiter divino. Ex præcepto autem ecclesiastico tenetur omnis fidelis adorare Deum diebus festis, quia ad hoc sunt

instituti: quare huic præcepto satisfacit, qui prædictis diebus sacrificio Missæ devote assistit.

55. Inq. 4. An loco determinato sit Deus adorandus? R. quod de jure naturali, aut divino nullus est locus designatus; sed cum Deus ubique sit præsens, in omni loco possumus, & debemus eum adorare. Nihilominus Ecclesiæ, Deo ipso inspirante, erexit templa, in quibus sacrificia, solemnesque divini cultus celebrentur. Triplicem rationem congruentiæ assignat D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 3. ad 2. ubi dicit: *Primo quidem propter loci consecrationem, ex qua specialem devotionem percipiunt orantes, ut magis exaudiantur; sicut patet ex adoratione Salomonis, 3. Reg. 8. Secundo propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertio propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis*. Addit ibidem ad 3. convenientius nos adorare Deum vultu, & facie templi versa ad orientem, tum propter Christum, qui oriens, & lux mundi appellatur. Tum propter paradysum in oriente constitutum, quasi queramus ad eum redire, dum versus illum oramus.

#### PUNCTUM II.

##### De adoratione latriæ.

56. Inq. 1. Quid sit latria? R. est quæ tribuitur Deo proprius cultus ipsius. Hæc debetur Deo, & cuilibet personæ sanctissimæ Trinitatis, ita ut possimus eas adorare simul, vel etiam unamquamque seorsim, absque exclusione tamen aliarum. Motivum hujus adorationis est suprema, & increata Dei excellentia, quæ nulli creaturæ competere potest. Actus præcipuus latriæ est sacrificium altaris, quod offertur in signum supremi dominii, & excellentiæ Dei. Deinde *votum*, quod soli Deo offerri potest. Denique actus latriæ sunt *Gloria in excelsis Deo Te Deum laudamus*, & similia, quæ unice Deo conveniunt. Alia autem signa adiphora, seu indifferentia, quæ Deo, & creaturis tribui queunt, ex intentione adorantis ordinari possunt ad colendum Deum, vel creaturas: ideo quando pri-

va-

vati actiones externas adorationis publicæ exhibent, non sufficit eos bonam habere intentionem, sed circumstantiæ loci, & temporis, personæ, & consuetudinis spectandæ sunt, ut absque officulo adstantium fiant.

57. Christus Dominus non solum ut Deus, sed etiam ut homo adorari debet adoratione latriæ: quia eadem adoratione adoramus personam, & omnes partes illius. Et qui adorat Regem purpuratum, adoratur purpuram illi unitam: ergo eadem adoratione latriæ, qua adoramus personam Christi, debemus adorare humanitatem illi hipostatice unitam. Cæterum humanitas Christi Domini potest etiam privatim adorari, ut abstracta a Verbo, seu præcisive considerata, adoratione *hyperdulæ*: hoc autem in praxi non solum est licitum; sed potest esse valde laudabile, & meritum, cum ex una parte adoratur adoratione latriæ propter personam divinam, cui est unita; & ex alia adoratione *hyperdulæ* considerando in ea tantam plenitudinem gratiæ, & sanctitatis: hoc enim nihil aliud est, quam adorare humanitatem duplici titulo, vel pluribus adorationibus ob varias perfectiones sibi debitis, de quibus simul, vel seorsim potest, & debet gaudere, sibi que congratulari omnis anima vere devota; non excludendo adorationem superiorem, cum exhibet inferiorem, sed adorando eam tum propter excellentiam increatam, tum propter perfectiones creatas. Videatur D. Thom. 3. p. q. 25. art. 2.

58. Eadem adoratione latriæ erat adorandum corpus Christi, & sanguis ejus naturalis in triduo mortis propter unionem ad Verbum divinum. Similiter est adorandum latria admirabile Eucharistiæ sacramentum: quia continet Deum; idemque dicendum propter eandem rationem, si in triduo mortis fuisset consecratum. Hinc vero non inferas irreverentiam Eucharistiæ irrogatam esse sacrilegium contra personam sacram; solum enim est, licet gravissimum, contra rem sacram, ut ait Angel. 2. 2. *quest. 99. art. 3.*

59. Inquires 2. An sit absolute adoranda hostia a Sacerdote in Missa elevata, an vero sub conditione si est consecra-

ta? R. licitum esse eam adorare absolute, quia non est ratio prudens suspicandi non esse consecratam; sufficit ergo, quod adorans eam habeat conditionem implicitam, & habitualement, ita ut si sciret non esse consecratam, nullatenus eam adoraret.

60. Inquires 3. An sit adoranda cultu latriæ caro, sanguis, vel puer aliquando in Eucharistia miraculose apparens? R. affirm. ex D. Th. 3. p. q. 76. art. 8. in argum. sed contra: ubi sic ait: *Secundum contra est, quia tali apparitione facta eadem reverentia exhibetur ei, quod apparet, quæ etiam primo exhibebatur: quod quidem non fieret, si vere non esset ibi Christus, cui reverentiam latriæ exhibemus.*

61. Inquires 4. An crux Christi, & alia ejus passionis instrumenta sint cultu latriæ adoranda? R. 1. Crucem, in qua Christus passus fuit, & alias ad ejus similitudinem factas, adoratione latriæ esse adorandas. 1. Quia imago alicujus eadem adoratione qua proto typus, adorari debet. 2. Quia crux est signum, & speciale vexillum, Redemptoris: ergo adoratio latriæ ei tribuenda est. Unde crux, in qua Christus fuit exaltatus, duplici titulo meretur adorationem latriæ. Ex quo oritur alia differentia hujus crucis ab aliis ad ejus similitudinem efformatis, quod istæ, si amittant figuram crucis, jam non sunt colendæ; illa vero licet eam amittat, vel in partes scindatur, ut accidit, semper cultu latriæ adoranda est. Verumtamen si hæc crux præcisive a verbo sumatur, solum cultu *hyperdulæ* adorari debet, ut docet D. Thom. in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. *quest. 4.*

62. R. 2. omnia instrumenta inanimata passionis Christi ut funes, flagella, corona, clavi, lancea, & alia, quæ ejus corpus tetigerunt esse latria adoranda: quia ratione contactus physici, & asperisionis sanguinis ejus sunt reliquiæ insignes ejusdem. Instrumenta vero animata, ut labia judæ osculantis, & manus crucifigentium, esto ob rationem contactus adorari possent, tamen ob Deicidium ab eis commissum, indignæ sunt adoratione.

63. Objic. 1. Nullus filius colit funes, nec patibulum, in quo ejus pater suspen-

pen-

pensus fuit: ergo nec fidelis colere debet instrumenta, quibus Christus turpissime occisus fuit. R. prædicta instrumenta non adorari a fidelibus ut inferentia infame supplicium Christo Domino, sed ut vexilla victoriæ, & signa redemptionis nostræ. Quilibet autem filius coleret ut trophæa, instrumenta occisionis patris, qui ob commune bonum patriæ vitam gloriose profudit.

64. Objicies 2. si ob contactum physicum Christi adorantur *latria* instrumenta passionis ejus, eadem adoratio debetur manibus beatissimæ Virginis, Sancti Joseph, & discipulorum; imo & assello, in quo Hierosolimam intravit; sed hoc est falsum: virgo & primum. R. quod beatissima Virgo, & alii sancti, qui tetigerunt corpus Christi, sunt capaces adorationis ratione propriæ excellentiæ, ideo ne detur occasio idolatriæ, non adorantur *latria*: quod non tenet in instrumentis inanimatis, utpote incapacibus propriæ adorationis. Unde melius, & perfectius est in B. Virgine, & sanctis adorari *hyperdulia*, & *dulia* propter se, quam in cruce, & aliis instrumentis *latria* propter alium. Assellus autem nullo modo est adorandus propter indecentiam, sicut nec sputa sanctorum, vermes, vel putrida in eorum corporibus reperta.

65. Objicies 3. Si aliæ cruces ob similitudinem ejus, in qua Christus pendit, adorantur *latria*: ergo omnes clavi, omnia flagella debent ita adorari. R. neg. conseq. quia cruces efformatæ ad similitudinem primæ sunt imagines crucifixi, qua ratione debent omnes adorari *latria*. Verum flagella, coronæ, clavi, & similia non sunt crucifixi imagines, ideo solum illa, quæ habuerunt contactum physicum, adoranda sunt: cetera autem nullo modo, ita Angelic. 3. p. 9. art. 4. ad 3. Nihilominus quando clavi, aut coronæ sunt in aliquo crucifixio, vel assumuntur actualiter ad representandam Christi passionem, debent cultu *latriæ* adorari propter actualem representationem. Nota etiam, quod si cruces casualiter, & per accidens formentur, nullam merentur adorationem, ideoque cum ex diversis lignis, aut paleis in terra formate reperiuntur, lici-

tum est eas, sicut alia ligna, vel paleas calcare. Unde aliqui scrupuli circa hanc materiam tamquam ridiculi despicendi sunt, quia solum cruce ex professo efformatæ debetur supradicta adoratio.

66. Nomina Dei, & Jesu adorari debent eadem adoratione *latriæ*, quia representant Personas divinas tali adoratione dignas. Et idem est de nomine *Maria*, Angelorum, & sanctorum, quod est adorandum *hyperdulia*, & *dulia*, ut representatio, seu imago suorum exemplarium.

### PUNCTUM III.

#### De hyperdulia, & dulia.

67. Inquires 1. quid est hyperdulia? R. est virtus, qua damus B. Virgini *Maria* proprium cultum ipsius. Motivum hujus adorationis est illa plenitudo gratiæ, & virtutis, qua beatissima Virgo supra omnes Angelos, & sanctos eminet, ac refulget. Actus præcipui hyperduliæ sunt *Ave Maria*, *Salve Regina*, *Litania Loretana*. Alia autem signa adorationis communia ex intentione adorantis determinari queunt ad hyperdulam, quæ quidem meritissime debetur colorum Regine, non solum quia mater Dei, sed quia omni perfectione, & sanctitate plena est. Unde justissime proscripta est ab Alex. VIII. sequens propos. 26. *Laus qua defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.* Nam cum beatissima virgo Maria non solum sit laude, & honore digna quatenus mater Dei, sed etiam quatenus gratia, sanctitate, & perfectione omnes cælestes superat, ideo universalis Ecclesiæ Pastor prædictam propositionem summo jure damnavit.

68. Inq. 2. Quid est dulia? R. est virtus, qua Angelis, & sanctis tribuimus proprium cultum ipsorum. Motivum hujus adorationis est dignitas, & excellentia, gratiæ, & gloriæ, quibus Angeli, & sancti gaudent, nobisque superiores existunt. Actus præcipui *duliæ* sunt penitiales orationes, seu collectæ, & litaniæ sanctorum, in quibus tam Angelos, quam sanctos, aliquos in particulari, omnes in communi adoramus. Licetum est ado-

ra

rare Angelos, & sanctos. Est dogma catholicum ab omnibus fidelibus non minus jucunde, quam utiliter admissum: nam si in terris privatos, amicos, & propinquos regis honorare optamus propter eorum dignitatem, & nostram utilitatem; potiori ratione hoc ipsum cum privatis, amicis, & propinquis regis cælestis optare debemus. D. Thom. 2. 2. q. 103. a. 5.

69. Objic. tamen 1. Cum hæreticis; *Deuteronom. 6. Matth. 4.* & alibi, præcipitur Deum solum adorari: ergo. R. Deum solum esse adorandum adoratione omnino absoluta, & propria Dei, quæ est *latria* propter excellentiam increatam; sed nullibi prohibetur sanctorum adoratio propria ipsorum, quæ est *dulia*, aut *hyperdulia*, propter excellentiam creatam, & a Deo participatam.

70. Objic. 2. *Apocalypsis 29.* Angelus prohibuit se a Joanne adorari, & *Actorum 10.* Petrus, & Paulus prohibuerunt sibi adorationem offerri: ergo. R. Angelum prohibuisse se adorari a Joanne, vel propter hominis dignitatem, quam adeptus est per Christum, & ejus incarnationem; aut propter reverentiam ad Apostolatam, & Sacerdotium ad quod elevatus erat Joannes. Quid simile legitur in vita Sancti Francisci Salesii de quodam juvene, cui Angelus præibat, sed post Sacerdotem sequebatur. Apostoli autem prohibuerunt se adorari, vel ex affectu humilitatis, vel potius adoratione soli Deo debita.

71. Inq. 3. An *Dulia*, qua sanctos adoramus, sit virtus distincta a religione? R. affirmative: quia ubi est diversa ratio formalis adorationis, debet dari diversa species virtutis; sed in Deo datur diversa ratio formalis adorationis, ac in sanctis; Deum enim adoramus propter excellentiam increatam, sanctos vero propter creatam, & participatam, ergo *dulia*, qua adoramus sanctos, differt specie a *latria*, qua adoramus Deum. Ita D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 1.

72. Objic. 1. Eadem est virtus caritatis, qua amamus Deum, & proximum: ergo eadem debet esse virtus religionis, qua colimus Deum, & sanctos. R. neg. conseq. quia ratio formalis intrinseca diligendi proximum est bonitas increata,

Tom. I.

& ideo eadem caritate diligimus Deum, & proximum. Ratio vero formalis intrinseca, qua colimus sanctos, est excellentia creata in ipsis reperta, ideoque distincta virtute colimus sanctos, ac Deum. Si autem sancti colantur propter excellentiam increatam, quatenus in illis Deus splendet, tunc eadem virtute religionis colantur Deus, & sancti cultu *latriæ*, & adoratione respectiva ob divinam excellentiam.

73. Objic. 2. Irreverentia, seu injuria sanctis irrogata est sacrilegium: ergo reverentia, seu adoratio ipsis exhibita est actus religionis: nam omne sacrilegium est contra religionem. R. neg. conseq. Quia etiam irreverentia Sacerdoti facta est sacrilegium; reverentia vero ei exhibita est actus, non religionis, sed observantiæ, quod ideo est, quia actus malus sumit speciem ab objecto cum omni circumstantia in eo reperta, & cognita, quia ad hanc directè terminetur. Semel enim cognita circumstantia mala, indirectè est volita, ad differentiam actus boni, qui solum sumit speciem ab eo, ad quod directè terminatur: plus enim requiritur ad bonum, quam ad malum. Cum ergo in sanctis reperiatur, non solum excellentia creata propria ipsorum, sed etiam specialis conjunctio cum Deo, & participatio excellentiæ increatæ: hinc irreverentia eis irrogata est vere sacrilegium, & peccatum contra religionem. E contra reverentia eis facta, quia non terminatur directè ad illam specialem conjunctionem cum Deo, sed ad excellentiam creatam propriam ipsorum, nec est actus religionis, nec sumit speciem a religione.

### PUNCTUM IV.

De cultu exhibendo sanctis canonizatis, beatificatis, & aliis personis cum opinione sanctitatis demortuis.

74. Inq. 1. Quid est canonizatio? R. est publicum Ecclesiæ testimonium, & ultimum judicium de vera sanctitate, & gloria alicujus hominis jam defuncti. Antiquitus sufficiebat canonizatio ab Episcopo facta, sed post Alexandr. III. nullus præter Romanum Pontificem valet ali-

Q99.

aliquem, quantumvis miraculis præclarum, in catholico sanctorum collocare. Sanctis ergo, qui, vel antiquitus communi populi consuetudine, vel Episcopi approbatione, vel jam testimonio Romani Pontificis regnare in cælo declarantur, cultus *dulci* deferendus est: quia statim ut aliqui in numero sanctorum solemniter adscribuntur, primo, ab omnibus *sancti* appellari possunt. Secundo, in publicis Ecclesiæ precibus invocari. Tertio, in eorum memoriam altaria, & templa erigi. Quarto, Missa, & officium divinum de eis celebrari. Quinto, dies festi in eorum laudem institui, & coli. Sexto, valent pingi eorum imagines cum radiis, & splendoribus. Septimo, eorum reliquie publice possunt honorari. Octavo, valent in patronos regni, provinciæ, aut civitatis eligi.

75. Inq. 2. An Pontifex in sanctorum canonizatione errare possit? R. neg. cum omnibus catholicis contra hæreticos. Imo graves Theologi defendunt esse de fide Papam in sanctorum canonizatione errare non posse. Sed D. Thom. *Quodlib. 9. art. 16.* docet: sententiam Papæ in canonizatione sanctorum medium tenere inter declarationes rerum fidei, & sententiam latam circa facta particularia: hoc est, non esse de fide; esse autem certiorum qualibet alia sententia circa facta particularia prolata. Unde juxta omnes oppositum affirmare est saltem erroneum, temerarium, scandalosum, & sapiens hæresim: ut si quis assereret, aliquem sanctum in inferno torqueri.

76. Objicies ex D. Augustino: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna.* R. quod si prædicta verba sunt D. Augustini, intelliguntur de gentilibus, & hæreticis, aut iniquis catholicis, quorum corpora venerantur hic superbis sepulcris: animæ autem torquentur flammis æternis.

77. Inq. 3. Quid sit beatificatio? R. est *permissio, seu indultum Pontificis alicui provinciæ, vel religioni concessum, ut possit aliquem nominare beatum, & de eo officium, & Missam celebrare.* Solum accidentaliter, & tamquam magis, & minus perfectum distinguitur a canonizatione; hæc enim est ultimum Papæ

pro tota Ecclesia de sanctitate alicujus judicium; illa vero via, & præparatio ad illud, vel quædam canonizatio particularis pro hac provincia, aut civitate. Ex quo sequitur *Primo*, beatificatum posse appellari absolute *sanctum*: dummodo non sit ad significandum illum esse canonizatum. *Secundo*, posse illi tribui cultum publicum autoritate, & nomine Ecclesiæ.

78. Inq. 4. Quis cultus publicus possit exhiberi beatificato? R. posse illi præstari tantum illum cultum, qui in eius beatificationis Bulla conceditur, & assignatur: quia indulta, & privilegia tantum valent, quantum sonant; beatificatio autem est quodam indultum, seu privilegium. Unde solum illud officium, illa Missa, illo die, loco, civitate, aut Ecclesia, & ab illis personis in Bulla explicite, vel implicite assignatis valet celebrari de beatificato. Si autem dies ejus officio designatus impediatur majori solemnitate, poterit transferri juxta rubricas breviarii, & missalis. Potest etiam erigi, non templum, sed altare, vel capella in ejus honorem, ibique ejus statua, imago, aut corpus publicæ venerationi exponi; hoc enim implicite conceditur in facultate de eo Missam celebrandi. Similiter potest beatificatus, vel ejus imago cum radiis, & splendoribus depingi, ut a non beatificatis discernatur. Verum nec invocari in litanis, nec eorum reliquie publice deferri in processionibus, nec eis templa dicari, nec tandem *patroni* regni, aut civitatis eligi possunt; Ita constat ex variis declarat. S. congregat. apud Merat. tom. 1. in serie decret. N. 361. & seqq.

79. Inq. 5. Qui cultus tribui possit per sonis decedentibus cum opinione sanctitatis nondum beatificatis? R. 1. non posse eis licite tribui cultum publicum. Quia cultus publicus institutus est solum pro canonizatis, aut beatificatis: ergo illicitum est aliis eum deferri. Unde non licet Missam, officium, aut diem festum de eis celebrari, aut institui, eos in litanis, aut precibus publicis invocari, nec eorum reliquias in altari collocari, nec publice adorandas exponi, nec votum aliquod a toto populo in eorum honorem Deo offerri, nec radiis, splendoribus,

bus, aut laureolis depingi, nec templa, aut altaria eis dicari, nec tabellas, aut lampades, inconsulto Ordinario, ad eorum sepulcra appendi, nec *sanctos* absolute nominari, sed cum additione *sanctus vir, beatus pater*, nec tandem eorum gesta, revelationes, aut miracula absque approbatione Episcopi imprimi, ut constat ex quodam decreto Urbani VIII. qui tamen permittit hæc omnia exhiberi illis, qui ex communi consuetudine Ecclesiæ, aut tolerantia Ordinarii a fidelibus pie coluntur.

80. R. 2. posse prædictis defunctis dari cultum privatum. Constat ex universalis Ecclesiæ praxi, & consuetudine fidelium, qui ad eorum sepulcra pia devotione concurrunt, ab eis exorando, & pluries impetrando infirmis sanitatem: unde licitum est eorum manus, aut pedes devote osculari, capillos, vestes, aut alias reliquias servare, & venerari, eorum corpora ad satisfaciendum devotioni per aliquos dies insepulta conservare, ea honestiori loco decenter sepelire; dummodo non sit sub altaribus, & sub gradibus eorum. Similiter possunt fideles in eorum honorem votum privatum offerre, in die anniversario ipsorum a servilibus privatim abstinere, aut in vigilia jejunare, vel aliud pium opus pro eorum reverentia devote adorari, dummodo omnia privatim fiant; alias nocerent, & impedimenta apponerent sua anticipata devotione illorum cultui publico, ad quem initio causæ inquiritur a sac. Congreg. peculiari articulo, de non cultu prius eis exhibitio.

## PUNCTUM V.

## De cultu sacrarum imaginum, &amp; reliquiarum.

81. Inq. 1. An usus sacrarum imaginum sit pius, & licitus? R. affirm. Constat ex cap. 21. *Exod.* ubi dixit Dominus ad Moysen: *facies duos Cherubim aureos ex utraque parte Oraculi.* Constat etiam ex Tridentino *sess. 25.* Ubi decernit imagines Christi, Deiparæ, & sanctorum præsertim in templis habendas, & retinendas esse. Suadetur ratione: Illud est pium, & licitum quod excitat ad

virtutem, & devotionem; sed sacræ imagines excitant ad virtutem, & devotionem, erg. earum usus est pius, & licitus. Minor patet. 1. Quia imagines profane provocant ad profanitatem, obscenæ ad obscenitatem: erg. devote ad devotionem, & virtutem. 2. Quia visa imago v. g. crucifixi excitat ad paupertatem, humilitatem, patientiam, obedientiam, compassionem, & supra omnia ad amorem: omnis enim figura ejus amorem spirat, & ad redamandum provocat, caput inclinatum, manus expansæ, pectus apertum, & sicut quidam devote cecinit: *illum ego de Lybica natum juro bæna, cui tua crux non moverit, o bone Christe!* Unde licitum est imaginem Dei Patris, & cujuslibet personæ SS. Trinitatis depingere, ut constat ex sequenti propositione damnata ab Alex. VIII. *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.*

82. Si autem cum hæreticis est Christus, quod *Exod. 20.* & alibi prohibetur sculptile, aut simulacrum fabricari. R. tantum prohiberi sculptilia, aut idola fabricari ad representandos Deos alienos, inanes, & falsos; minime vero ad representandum verum Deum, Angelos, & sanctos.

83. Inq. 2. An sacræ imagines sint adorandæ? R. Sacras imagines esse adorandas eadem adoratione, ac earum Prototypi: Ita D. Th. 3. p. q. 25. a. 3. ubi concludit: *Sic ergo dicendum est, quod imaginem Christi in quantum est res quedam (puta lignum sculptum, vel pictum) nulla reverentia exhibetur: quia reverentia non nisi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo, quod ei exhibetur reverentia solum in quantum est imago. Et sic sequitur, quod eadem reverentia exhibetur imagini Christi, & ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione patriæ, consequens est, quod ejus imago sit etiam adoratione patriæ adoranda.*

84. Inq. 3. An imagines sanctæ, quæ aliquando in visionibus apparent, sint adorandæ absolute; vel solum sub conditione, si Deus, aut sanctus est? R. Prædictas imagines, supposita recta intentione, posse adorari absolute, quia Christus v. g. sub quacumque imagine appareat est dignus absoluta adoratione; sed

sed ibi Christus sub illa imagine apparet: erg. absoluta adoratione dignus est. Cumque idem debeat dici de omni alia imagine sacra, de omnibus idem tenendum est. Nec in illis adoratur, quod latet, sed quod apparet, & per illas representatur. Hanc assertionem docet seraphica, ac illuminata doctrix mater Theresia variis in locis, sed præcipue *lib. Mans. cap. 9. n. 7. Mans. 6.*

85. Inq. 4. An detur præceptum utendi sacris imaginibus? R. Non dari præceptum naturale, aut divinum, sed tantum ecclesiasticum obligans in *generali*, ortum ex communi consuetudine, & usu fidelium, ex quo usu duplex oritur præceptum, aliud negativum sacras imagines non injuriandi, aut despiciendi, quod obligat semper, & pro semper, aliud affirmativum eas adorandi, quod obligat temporibus determinatis, ut quando eorum adoratio necessaria est ad fidem confirmandam, vel ad vitandum scandalum.

86. Verum esto non detur præceptum singulos obligans ad usum sacrarum imaginum, non possumus non improbare ab usum, quem paucis ab hinc annis introductum animi dolore conspicimus, vix eorum aspiciet imaginem sacram, aut devotam in domibus divitum, quia fere omnes ab eis expulsæ sunt, ut eorum loco alias figuras profanas ab hæreticis invecas, ad domorum ornamentum pretio comparent, & magna æstimatione habeant, vanitatem fovendo, & devotorem relegando: ita ut domus catholicorum parum, aut nihil jam a domibus hæreticorum secernantur.

87. Inq. 5. An reliquiæ sanctorum sint adorandæ? R. 1. Sanctorum reliquias, sicut eorum imagines dignas esse adorationem. Constat ex Concil. *Nicano 2. Ex Trid. sess. 25. cap. 2.* & ex communi fidelium praxi, quæ contra errores hæreticorum hoc ipsum firmiter testatur, & tamquam articulum fidei tenet, & credit. R. 2. Sacras reliquias adorandas esse eadem adoratione, ac ipsi sancti. Ita D. Thom. 3. p. q. 25. art. 4. & 6. Quia sacra reliquiæ sunt partes corporum, quæ fuerunt organa, & habitacula spiritus sancti, & dicunt relationem ad ipsos sanctos: ergo debent adorari eadem adoratione, ac ipsi sancti. Unde præputium

Christi, & ejus sanguis, etiam nutrimentalis in aliquo passionis instrumento manens, adorandæ sunt *latria*, capilli, & lac beatissimæ Virginis *hyperdulia*; reliquiæ tandem aliorum sanctorum *dulia* veneranda sunt.

88. Objic. cum hæreticis: si reliquiæ sacrae ob contactum cum sanctis essent adorandæ, etiam vermes, in quos aliquando eorum corpora convertuntur, os Judæ, manus crucifigentium, asellus super quem Christus sedit, debent adorari, quod est absurdum. R. omnia prædicta, & similia non posse terminare religiosam adorationem propter indecentiam. Ex quo non sequitur alias reliquias sacras, mundas, decentes, & honestas adorari non debere.

89. Inq. 6. Quæ certitudo sit necessaria, ut reliquiæ colantur tanquam veræ? R. Quod pro cultu privato sufficit certitudo moralis de earum veritate ex testimonio viri gravis, & prudentis. Pro cultu vero publico requiritur recognitio seu approbatio Episcopi; valent etiam collo suspensæ deferri, dummodo absit periculum profanationis, aut indecentiæ, hoc est, derisionis, aut despectus. Verum, qui eas deferens furatur, aut mæchatur, non committit sacrilegium, quia hæc peccata illarum cultui directè non opponuntur.

90. Licitum est sacras reliquias ab infidelibus furari, vel pretio emere, quia liberantur a periculo irreverentiæ: tamen furari reliquias a fidelibus sacrilegium furtum est, quia pluri, quam temporalia a fidelibus æstimantur. Unde ad cognoscendam gravitatem furti, attendi debet major, aut minor æstimatio possessoris, quia non mensuratur a quantitate rei ablatæ, sed a qualitate, raritate reliquiæ, ab æstimatione, aut contristatione ejus, a qua auferitur. Peccat mortaliter duces, vel milites, qui etiam in bello justo, capta civitate, reliquias ab Ecclesiis subripiunt: quia iniquum est, & sacrilegium Ecclesias expoliare, aut ecclesiasticos punire propter delictum civitatis. Non est licitum sacras reliquias extra capsulas positas publice exponere venerationi, ne sacra ossa, si jam carne sint spoliata, a rudi populo minus decenter venerentur.

91. Inq. 7. An licite exponi possint sacra reliquiæ, ut hac occasione eleemosynæ largiores offerantur? R. Præcisio omni pacto, licitum esse sacras reliquias exponere, ut fideles devotione permoti eleemosynam omnino gratiose conferant. Verum si intentio principalis dirigatur ad eleemosynam, erit culpa saltem venialis. Simonia autem est sacras reliquias quomodocumque pretio vendere, aut emere, nisi ratione materiæ, quæ utpote pretio æstimabilis vendi, aut emi potest, quod etiam verum est de cereis formis, quæ *Agnus Dei* communiter appellantur; quæ vendi, aut emi licite possunt ratione materiæ, & expensarum in eis asportandis, vel ornandis; non tamen pluri quam ipsa materia, vel expensæ æstimantur: sicuti calices, & alia vasa sacra vendi, aut emi ratione materiæ licite possunt. Dictos Agnos pingere, deaurare, minio, vel alio colore afficere prohibitum est sub excommunicatione *læte sententiæ*, illos vero cum reverentia, aut necessitate contredicare, aut tangere omnibus etiam laicis licitum est. Eorum autem materia, ac virtutes his explicantur versibus:

*Balsamum, & munda cera cum christi matris unda,*

*Conficiunt agnum, quod munus dō tibi magnum,*

*Fonte velut natum, per mystica sanctificatum,*

*Fulgura desursum depellit, & omne malignum:*

*Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit.*

*Pregnans servatur simul, & partus liberatur.*

*Dona defert dignis, virtutem destruit ignis.*

*Portatus munde, de fluctibus excipit undæ.*

## PUNCTUM VI.

*De cultu vestibus, ac vasis sacris, & aliis rebus ad Dei obsequium destinatis tribuendo.*

92. Inq. 1. Quis cultus templi, vasis sacris, & similibus debeat? R. 1. Quod res sacras ad usum profanos convertere, quamdiu propriam retinent formam, est peccatum grave sacrilegii. Ideo enim Bal-

Tom. I.

& omnia ad Dei cultum destinata adoranda esse *latria*. Quia ut pote ordinata ad cultum Dei, sunt velut ejus imagines symboliæ: erg. debent adorari *latria*, sicut ipse imagines Deum, aut Christum representant. Ita D. Th. 3. p. q. 25. a. 6.

93. Inq. 2. An vasa sacra, corporalia, & vestes benedictæ tangi licite a laicis valeant? R. Quod esto secundum juram antiquam prohibitum esset laicis tangere etiam casulas, & alias vestes ab Episcopo benedictas; communi tamen usu licitum est utriusque sexus laicis tangere quælibet vestimenta sacra, maxime ex justa causa eas reficiendi, lavandi, aut decenter conservandi: Idemque est dicendum circa vasa non consecrata. Ceterum vasa consecrata, ut calicem, & patenam, etiam vacua, nec non aram, & corporalia nequeunt laici immediate tangere sub peccato veniali. Laici tamen religiosi, qui sacristiæ inserviunt, possunt prædicta immediate tangere ex privilegiis concessis laicis Minorum, & ab aliis participatis. Nec prima tonsura initiati comprehenduntur sub prohibitione tangendi vasa sacra, & corporalia.

94. Calix continens sanguinem Christi, vel patena, aut pixis cum ejus corpore a solo Sacerdote, & Diacono tangi licite valent; solumque, necessitate urgente, ab aliis tangi poterunt. Similiter nefas est, etiam clericis minoribus, christi, seu sanctum oleum, aut Eucharistiam tangere, sublato casu necessitatis, ut si sacra hostia in terram caderet, aut ab hæreticis conculcanda esset, absente Sacerdote, a quolibet etiam laico reverenter a terra elevari deberet, & Sacerdoti quamprimum tradi in sacrario reponenda. Vel si Sacerdote communionem distribuente, particula consecrata caderet in sinum mulieris, ab hac, non a Sacerdote extrahi deberet. Corporalia, & purificatoria, saltem prima vice, semper ac altari deserviunt, a Sacerdote, vel Diacono lavanda sunt, ut tenet communior Theologorum.

95. Inq. 3. An res sacrae ad usum profanos converti possint? R. 1. Quod res sacras ad usum profanos convertere, quamdiu propriam retinent formam, est peccatum grave sacrilegii. Ideo enim Bal-

Rrt

tha.

thasar Rex morte fuit punitus, ut patet ex cap. 5. *Daniel*. Imo res sacræ, aut vasa consecrata, licet per fractionem, aut scissionem amittant consecrationem, aut benedictionem, adhuc in usus profanos converti non debent. Unde imagines sanctorum jam pervertustæ, aut deformatæ, non comburendæ, sed sepeliendæ sunt. Ligna quoque, & saxa Ecclesiæ dirutæ, vel comburenda, vel in alia religiosa loca construenda insumi debent, ut ex jure canonico præbat D. Thom. 3. p. 2. q. 83. art. 3. ad 3. Calix consecratus, aut patena, ut vendi, aut converti possint ad usus profanos, debet prius ejus materia igne, aut ferro ita immutari, quod totaliter priorem formam amittat.

96. Inq. 4. An res, quæ usibus profanis deservierunt, possint ad sacros usus converti? R. quod res profanas, mutando primam formam, aut figuram, convertere ad conficienda vestimenta, seu paramenta sacra licitum est. Patet ex communi praxi, qua matronarum vestes in casulas, & alia paramenta Ecclesiæ convertuntur. Ita etiam ipse domus prophana media benedictione in templa sacra, & Ecclesiis dicata sunt, ut domus S. Lucinæ, S. Ceciliæ, Panteon quoque, seu templum omnium gentilitatis Deorum. Quia esto aliquam impuritatem, & fœditatem per priorem usum contraxissent, per consecrationem, aut benedictionem ecclesiasticam omnino purgantur.

## CAPUT III.

## De vitii religioni oppositis.

## PUNCTUM I.

## De superstitione.

97. Inq. 1. Quæ sint vitia religioni opposita? R. alia sunt per excessum, alia per defectum. Per excessum est *superstitio*, cujus sunt quatuor species, nempe *idolatria*, *divinatio*, *vana observantia*, & *magia*. Per defectum opponitur religioni *irreligiositas*, cujus pariter sunt quatuor species, *tentatio Dei*, *sacrilegium*, *blasphemia*, & *simonia*. Ita

Angelic. 2. a. q. 92.

98. Inq. 2. Quid sit superstitio? R. est *cultus vitiosus veri, vel falsi numinis*. Dicitur *veri, vel falsi numinis*, quia cultus potest esse vitiosus, vel quia exhibetur, cui debetur, sed modo indebito, & dicitur *cultus inoportunus*: vel quia exhibetur, cui non debetur, ut tribuere creaturæ cultum proprium Dei, & est *cultus indebitus*. Primus subdividitur in cultum *falsum*, & in cultum *superfluum*. Cultus falsus potest esse duplex; vel ex parte *rei cultæ*, vel ex parte *colentis*. Ex parte *rei cultæ*, ut si tribuatur cæremoniis judaicis, vel cœmentitiis miracula, vel falsas reliquias venerationi exponendo, aut divinis officiis turpia miscendo, quæ omnia sunt peccatum mortale; non solum in cultu publico, sed etiam potest esse in privato, ut si quis diceret orationem dominicam *Pater noster* pro se tantum, alios excludendo, quia oratio dominica pro omnibus est instituta. Ex parte *colentis*, ut si quis seingeret Sacerdotem, & Missam celebraret, aut quid simile efficeret. Cultus *superfluus* est, ut si quis audiret Missam tot candelis, & non aliter, vel Sacerdotis talis nominis, vel cum colore tantum albo, vel præcise nigro.

99. Inq. 3. An cultus superfluus semper sit peccatum grave? R. neg. quia non semper gravis irreverentia cultui divino per illum infertur, ut qui hanc, vel illam cæremoniã non valde gravem adderet, ut dicere *Alleluja*, quando dicenda non est, vel signare se, aut genuflectere, quando fieri non debet. Huc expectat sane plorandus modus canendi in Ecclesiis invehus, qui plus ad demulcendas aures, quam ad devotionem acundam deservire experientia testatur; id eoque justissime a Christianorum templis, domibus compunctionis, orationis, & adorationis Dei in spiritu, & veritate penitus relegari deberet.

100. Inq. 4. An qui die Dominico jejunaret, graviter peccaret? R. quod jejunare die Dominico pio animo, & propter carnis macerationem ex se opus bonum est. Nihilominus consultius omittitur jejunium tali die, ut omnes ad Ecclesiæ ritum, & morem se conformet. Qui autem je-

junaret diebus Dominicis propter aliquam adhesionem hæresi Manichæorum, qui in contemptum Resurrectionis Christi Domini tali die jejunabant, gravissime peccaret. Ex quibus sequitur cultum superfluum posse esse peccatum grave, aut leve juxta gravitatem materiæ, & colentis intentionem. Quod quidem aliquando accidere potest etiam in cultu, qui dicitur *falsus*, propter parvitatem materiæ, ut si divinis officiis admisceantur aliqua tantum vana, non tamen turpia; quod, secluso scandalo, non reputatur irreverentia gravis, aut divino cultui notabiliter injuriosa, dummodo raro fiat.

## PUNCTUM II.

## De idolatria, &amp; divinatione.

101. Inq. 1. Quid sit idolatria? R. est *cultus divinus exhibitus creaturæ*. Vel, *cultum proprium Dei tribuere creaturæ*. Si quippe cultus, non Deo soli debitus, creaturæ tribuatur, non est idolatria; nec similiter, si cultus Deo debitus, tribuatur creaturæ, non ut tali, sed in quantum in ea Deus splendet. Igitur omnis cultus, sive internus, sive externus soli Deo debitus, & creaturæ ut tali exhibitus, est idolatria. Ex genere suo est gravissimum peccatum, quia velut alium Deum ponit, & agit contra supremum Dei dominium, excellentiam, & honorem, quod est crimen læsæ Majestatis divinæ. Unde inter omnia peccata religioni, & omni virtuti morali opposita, maximum est idolatria. Odiu autem Dei, infidelitas, & desperatio graviora sunt, utpote virtutibus Theologicis opposita.

102. Potest idolatria esse, vel cum errore intellectus credendo alium Deum, aut plures Deos; vel absque errore spontanea, & libera; vel solum propter metum gravem, ut qui ad vitandam mortem idolis sacrificaret. Primo modo includit infidelitatem, & subjicitur *excommunicationi lætæ* contra hæreticos. Secundo modo solum opponitur confessioni fidei, & incurritur *excommunicatio non reservata* illata a Joanne XXII. Tertio modo minus grave peccatum est: igitur triplex datur idolatria, nempe per-

*fecta, imperfecta, & ficta*. Quodlibet peccatum dicitur etiam idolatria; juxta illud ad *Philippens.* 3. 19. *Quorum Deus venter est*. Sed hæc est idolatria generalis. Ante diluvium non fuerunt idola, cæperunt coli post illud. Primus fuit Nemrod, seu Belus pater Ninii primus Rex simul, & tyrannus mundi, fundator Babilonis, & ejus superbæ turris. Author ergo tyrannidis, & confusiois fuit principium idolorum, de quo *Genes.* 10.

103. Inq. 1. Quid sit divinatio? R. est *prævniatio futurorum*. Tripliciter potest fieri; nempe ope Dei, vel ex vi causarum naturalium, vel ope Dæmonis. Prima fit per revelationem, & dicitur *prophetia*. Secunda per cognitionem causarum naturalium. Tertia a Dæmone acquiritur, & est secunda species superstitutionis, de qua loquimur in presenti. Desinitur *prævniatio futurorum ope Dæmonis facta*. Potest esse, vel cum pacto expresso, vel implicito Dæmonis. Quæ fit cum pacto expresso, & communi vocabulo dicitur *necromantia*, in novem species dividitur. Prima est *præstigium*, quæ fit quando Dæmon fictis corporibus, figuris, aut præstigiis apparet. Secunda est *divinatio per somnia*: quando divinatores sperant per somnia instrui. Tertia est *necromantia*: quando quibusdam præcantationibus, sanguine adhibito, videntur resuscitari mortui, & ad interrogata respondere. Quarta est *divinatio per Phytones*: quando Dæmon futura prævniat per homines arreptitios, qui dicuntur *Phytones* a Pythone Appolline, qui primus Author divinandi olim putabatur. Quinta est *geomantia*: cum Dæmon per aliqua inanimata ut ligna, ferum, lapides futura docet, aut prævniat. Sexta est *idromantia*: quando signa apparent in aqua. Septima est *hiromantia*, si apparent in aere. Octava *geomantia*, si fiat in igne. Nona dicitur *haruspitium*: quando sunt signa in visceribus animalium immolatorum in aris Dæmonum: Ita D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 3.

104. Divinatio cum pacto implicito Dæmonis etiam est duplex. Prima datur, quando ad cognoscenda futura aliquid consideratur in vanis dispositionibus rerum,